

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
/





1688.

1. Albinus, Benckardus: De affectibus animi.
2. Albinus, Benckardus: De fructibus.
3. Beermannus, Joh. Christophorus: Joh. Brannemanni . . .  
dissertationum Franco-politicarum I de autoribus  
paris.
4. Beermannus, Joh. Christophorus: De ratione tractatus  
paci negotia.
- 5<sup>et 6</sup> Hoppius, Joachimus: De veritate convicii.
6. Hoppius, Joachimus: De contractu clandestino.
7. Hoppius, Joachimus: De iudice putativo.
8. Platz, Abrah. Christophorus: De donatione omnium  
bonorum.
- 9<sup>et 10</sup> Rhebus, Joh. Fridericus: De autoritate juris  
Caucorici inter Augustanae confessionis consortes.
10. Rhebus, Joh. Fridericus: De iure fidejussorum.



11. Rhetius, Joh. Fridericus: De transmissione hereditatium  
viorum Germaniae in successores.
12. Rhetius, Joh. Fridericus: De censu fundo cohaerente.
13. Rhetius, Joh. Fridericus: De antiquissima Germanicarum  
civitatum pensione unguis Orbede.





DISSERTATIONE DIETETICAM,  
AFFECTIBUS  
ANIMI,

PRIMUM MEDICORUM ORDINIS  
UNIVERSITATIS  
ALTAE SCHOLAE  
FRANCOFURTI

DN. BERNHARDI ALBINI,  
MEDICINAE PROFESSORIS ORDIN.

PRIMUM RECTORIS ACADEMIAE  
FRANCOFURTI  
AD ALTA SCHOLA  
MDCCXCI

JOHANNES ORTLOFF

LUDWIG CHRISTOPH ZEITLER





11. Althaus, Joh. Friedrich: De transmissione hinc inde  
veterum Testamenti in sacras literas.

12. Althaus, Joh. Friedrich: De consuetudine veterum  
gentium.

13. Althaus, Joh. Friedrich: De antiquissimis Testamentorum  
et veterum gentium scripturis.



22202  
Qui

N<sup>o</sup> 29

1681, 3

31

JOH. BRUNNEMANNI JCTI  
 DISSERTATIONUM  
 IRENICO-POLITICARUM,  
 PRIMA  
 De  
**AUTORIBUS**  
**PACIS,**

PRÆSIDE  
 JOH. CHRISTOPH. BECMANO,  
 D. & HISTOR. PROF. ORDIN.

Publice Repetita

â

LEOPOLDO FRIDERICO GANS  
 L. BARONE de PUTLITZ,

*In Auditorio Majori Collegii Philosophici*

Ad d. XII. FEBR. A. MDCLXXXI.



*Frankofurti ad Viadrum,*

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

1207





ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO,  
DOMINO  
ADAMO RUDOLPHO GANS  
L. BARONI de PUTLITZ,  
Serenissimi ac Potentissimi  
ELECTORIS BRANDENBURGICI  
MARESCHALLO HEREDITARIO,  
DOMINO IN Putlitz / Wolfeshagen / Cick  
& Eckershoff/  
DOMINO ac PARENTI SUO  
Honore pariter ac Amore æternum Colendo

Hanc DISSERTATIONEM

In

Filialis Obsequii Argumentum

humiliter offert

RESPONDENS.



(1)

DISSERTATIO I.  
De  
AUTORIBUS PACIS.

RESP. LEOPOLDO FRIDERICO GANS  
L. Barone de PUTLITZ.

I.

**P**acis nomen à pactionibus deducimus (a) eamq; hic ordinatam Belli compositionem definimus.

(a) Pax enim pactionibus conficitur, leg. 1. §. pactum ff. de pact. ubi Cujacius ad l. 1. ff. de pactis. Generaliter autem accepta, quamvis ab armis cessationem significat. Valtrin. de re milit. Roman. l. 6. c. 10. Unde pacem in Temporalem & perpetuam dividunt, id quod non de propriâ Pacis, sed laxâ significatione intelligendum; Pax enim propriè dicta est perpetua. Unde etiam plena sedatio discordiarum definitur. Ex dictis liquet, non de privatâ Pace, quæ discordiarum privatarum sedatio est, sed publicâ nos sollicitos esse. (b) Alber. Gentil. de Jure Belli l. 3. c. 1. Licet enim Pax interdum devictis hostibus fiat, aut in deditioem accepto populo, aut occiso hoste, composuisse tamen bellum præsumitur & transgisse, hoc est injuriam populo remisisse, qui alios pro Subditis habet; Remissio enim injuriarum probat Pacem. Card. Mant. de tac. & amb. Convent. l. 27. tit. 1. n. 6.

II.

Hæc cum verum humanarum sit optima, non dubium est, quin DEUS primus ejus autor & largitor sit, Esa. 45. qui animos mortalium odiis & dissensionibus in diversa actos placidissimo Concordiæ & Pacis vinculo componit.

In manu enim ipsius est cor Regis, quacunq; volet  
A  
incli-



inclinabit *Proverb. c. 21.* Is est qui Regna transfert de gente in gentem propter injusticiam & injurias & contumelias & diversos dolos, *Ecclesiastici c. 10. v. 8.* Sic dum deliberabatur de Pace Pyrenæa *fusa in Ecclesiis publica ad miserentem Deum preces pro Pace Christiano Orbi adeo necessaria.* Gal. Gvald. *Histor. Pac. Pyr. f. 25.* Ejusdemq; Prologo idcirco pie insertum fuit: *Quamvis aliis temporibus & per diversas vias introducerentur apertura & Negotiationes Compositionis, nulla tamen earum ex Ministeriis plena Divinæ Providentiæ secreta Voluntate sortiri potuit eum successum, quem sua Majestates ardentissime experebant: Usq; dum tandem DEO illi Summo, in cujus manu sunt corda Regum, & qui sibi soli preciosum Pacis donum specialiter reservavit, placuit inspirare illam utriq; Regum per misericordiam suam infinitam uno eodemq; tempore mentem, atq; eam eo inclinare & sic inflectere, ut absq; ullo interventu, aut irritamento alio, quam solo sensu & commiseratione captam ex miseria suorum bonorum Subditorum &c. stabiliendi Pacem media invenerint. Similiter post invocatum Divini Numinis auxilium in mutuas Pacis Leges consenserunt, ait *Prol. Instrum. Pac. Westphal. Casareo-Gallica, & Svedica, item Pacis Olivenfis: In nomine Sanctissimæ Trinitatis congressi sumus. Prol. Pac. Roschild. Divina favente gratia conventum est. Prol. Pac. Hafn.**

## III.

*Causa secunda est Majestas, (a) quæ cum olim penes Populum Romanum fuerit, ipse Bellum decernere, (b) Pacem & Fœdera percutere, vel ejus nomine Senatus potuit. (c)*

(a) Eorum est, quorum est Bellum; Rei enim suæ quisq; moderator. *Grot. J. B. III. c. XX. §. 11. Conf. Arnif. de Jure Majest. c. 15.* (b) *l. Hostes 24. ff. de captiv. & postlim. Conf. Grot. l. l. III. IV. 2* (c) *Livius lib. 30. in fin.* Ibi cum Cn. Lentulus Senatus Consulto intercederet, ne Pax daretur Carthaginensibus, Tribuni plebis ad populum tulerunt, vellent juberentne Senatum decernere, ut cum Carthaginensibus Pax fieret? Et quem eam pacem dare, quemq; exercitus ex Africâ depor-



#### DE AUTORIBUS PACIS.

deportare juberent? De Pace ubi rogatae omnes tribus erant, jusserunt Pacem dare Publ. Scipionem, eundem exercitus deportare. Ex hac rogatione Senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem Legatorum sententia pacem cum Populo Carthaginensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Praecipue observationem meretur, quod de Pace apud Romanos Kalatis Comitibus, hoc est minus solennibus seu, ut Valtrinus vocat alique, Tributis agi potuerit, cum Bellum non nisi Centuriatis Comitibus decerni posset: quod prudenter in victrice & triumphali Republica pacis dulcedinem in odium belli invaluerat, quod in Comitibus Blaesensibus merito urgebat Bodinus referente *Ibivano l. 63.*

#### IV.

*At quoniam Populus Lege Regia omnem potestatem in Principem transtulit (a) ideo Belli Pacisque arbitrium in Imperio Romano penes ipsum residet (b) in ceteris vero penes eos, qui summa eorum gubernacula tenent. (c) A Rep. tamen facta Pax firmior esse solet. (d)*

(a) *Text. in l. 1. ff. de Constitut. Princip. & in l. 2. §. novissimo ff. de Orig. Juris. (b) Gail. l. 1. cap. 4. de pace publ. Ac de veteri nullum est dubium: De hodierno, qua Bellum, modum definiunt Capitulationes Caesareae: Neg. lites, disidia aut Bella in vel extra Imperium illius causa, sub ullo quovis pretextu sine Electorum, Principum ac Statuum vel saltem Electorum presertim, consilio atque consensu incipimus, Capit. Leopold. Art. XIII. Sed an Caesar in Bello nomine totius Imperii gesto non possit solus Pace facere, Valde gravis & ad summam Remp. pertinens Quaestio est, quam agnovit & attigit Boecler. Not. Imp. L. IV. c. 1. In Anglia Jus Bellum gerendi, Foedera, Transactiones ineundi penes Regem solum est, quanquam minori cum effectu, quia Jure Tributa imponendi caret. Vid. Not. Angl. c. IV. Sic & in Lacedaemoniorum Republica hoc Jus penes totum*



tum Populum fuit, & Ephoros, qui potissimam Majestatis partem habuerunt, ex Xenophonte, *L. de Republ. Lacedem. Arnis. cap. 5. de Jure Majest.* (d) Principes enim citius impelli possunt oblatâ aliquâ utilitatis aut gloriæ acqvirendæ spe, ut à Pactis recedant; In Rebus publicis accuratius solent excuti omnia, lentiores ibi sunt deliberationes, ad Pacis consilia magis feruntur animi, & Belli calamitatum detestationem. Breviter: Ubi rerum summa penes unum est, Voluntas citius, ubi penes plures tardius movetur, tardiusq; proinde & mutationes sequuntur.

## V.

*Ex his patet eum, qui Exercitui prepositus est citra consensum Superioris, cujus auspiciis Bellum geritur, nullam faciende Pacis facultatem habere (a) quod est in illo, cui plena liberâq; omnium potestas est concessa, verum arbitramur. (b)*

(a) Neque enim Belli gerendi pars est Bellum finire. *Grot. 7. Bell. III. c. XXI §. VII.* Ideoq; Papyrius Dictator Pacem petentes ad Senatum ire jubet, *Liv. l. 8.* & Scipio Legatos Carthaginensium Romam proficisci jubet, ut quæ ab se acta essent, ea Patrum autoritate Populiq; jussu confirmarentur. *Liv. l. 30. in fin.* (b) *Arg. l. mandato generali 60. ff. de procur.* Hinc quoties Consules & Imperatores pacem dedisse leguntur, Sponsio potius erat, de qua suo loco dicetur, aut habuerunt potestatem illam speciali mandato sibi concessam. Ita Scipio ex Senatus decreto Pacem cum Populo Carthaginensi ex decem tamen Legatorum sententia, (ut ante diximus) quibus legibus ipsi videretur, facere jubebatur. Adde *Matth. Canon. nostrum de Pactis c. XXII, n. III.*

## VI.

*Detestanda quidem sunt subditorum molimina, qui ruptis debita fidelitatis & observantia habentis, rebelles adversus Principem suum existunt: (a) atq; Hostium numero non continentur: (b) Pa-*



DE AUTORIBUS PACIS.

5

(b) *Pactionibus tamen potius quam armis subigendi sunt* (c) *id quod*  
*tum potissimum, si injustam vim bello repellant.* (d) *Ideoque*  
*Subditi, conventionibus licet periculosis* (e) *in gratiam cum*  
*Principe redire nullo jure prohibentur.* (f)

(a) *Gail. lib. 1. de pace publ.* quos etiam Deus ipse de-  
 testatur, (b) *Arg. l. hostes 24. ff. de captiv. & postlim. revers.*  
 (c) *Contra Ayalam de jure & officio belli:* Non enim omnia  
 facta Romanorum in exemplum trahi possunt, nec sem-  
 per Christianum decet Principem, quod Romani Imperii  
 Majestas, quod Senatus autoritas postulabat. Ineptus Chir-  
 urgus est, qui, vice sanandi, immedicabiles plagas facit,  
 vel vulnera ingenti ægrotantium dolore magis lacerat;  
 Imperitus ille gubernator & iniquissimus, qui, ut paucos  
 Seditionis autores castiget, multas hominum myriades in  
 extremam miseriam præcipites agit: qui, cum per Pacem  
 auctoritatem recuperare posset, inexpiabilis Belli aleæ for-  
 tunas suas omnes committit. Multi quoque qui dare potuissent  
 Pacem æquis conditionibus, postea sibi damnosis accipere  
 coguntur, cujus exempla passim obvia in Belgio, Gallia, Sa-  
 baudiâ, &c. (d) *Vim enim vi repellere Juris naturalis est &*  
*Gentium, l. 3. ff. de Justit. & Jure.* (e) Nam nihil æquè Prin-  
 cipum animos exulcerat, quam cum iis, à quibus se of-  
 fensos putant, pacisci, & ad Pacta servanda compelli: Ma-  
 net enim alta mente repostum, quamvis iram ad tempus  
 tacite concoquant, ne odia professi perdant vindictæ oc-  
 casionem. Vide plura apud *Baud. l. 2. de Induciis Belli Belg.*  
 Nec Subditi memoriam talium offensarum bonâ fide de-  
 leri posse, sibi queunt persuadere, quippe qui Regum ini-  
 micitias nunquam nisi morte extingui existimant. *Tbuan.*  
*l. 27.* Hinc teste Bodino, conventiones nullæ minùs firmæ  
 sunt, & plus cautionis habent, quam hæc. Cujus præter al-  
 legatam rationem & hæc videtur non postrema, quod

A 3

non-



nonnulli Principes istiusmodi pactis se non obligari putent, aut sibi ipsis ita blandientes, aut ab aliis persuasi, nec sine rationibus id se statuere autumant. Nam primò nullam esse dicunt legitimam causam, contra Patriam arma sumendi, atq; adeò nec contra Patrem Patriæ. Sed non concludit hoc argumentum. Utenim concedamus hoc, consequentia tamē nulla est; Non est legitima causa Belli. E. pacisci inter se non possunt. *Svadebimus Principi, ut laude humanitatis potius, quam voluptate ulionis concupiscat, ait Quintil. Conf. Grot. J. B. II. XXIV. tot.* Dicunt porrò fidē perfidis servari non oportere; Sed falsitas hujus alio tempore fuit demonstrata. Homines omnes qui ad rationis usum pervenerunt capaces sunt juris ex promisso: Dicit in casu non dissimili *Grotius Jur. Bell. III. XIX. 1. 2.* Nec majoris ponderis illud est, quod 3. dicunt: Principem esse usufructuarium Regni, nec, si Principem constringere velint subditi, jura, quæ Majestati cohærent, versari in commercio aut alienari posse, quin ad pristinam naturam reverti debeant. Principem enim usufructuarium esse in Patrimonialibus Regnis, non est verum. Eundem quoq; jura Majestatis imminuere, si eorum causa transigat cum Subditis tralatitium est; Præsumitur enim id facere non tantum favore Pacis, sed etiam, quia Jura Majestatis eo casu in externum non transferuntur, sed potestas Principis populo suspecta coërcetur, & res in antiquum statum revertitur quodammodo; (De illis enim Regnis jam sermo est, quæ populi consensu primitus delata sunt.) Non igitur alienatio dicenda hæc est, sed juris quædam communicatio. Materia Pactorum insuper non ea tantum sunt, quæ in commercio versantur, ut suo loco dicetur. Reliqua ipsorum argumenta aliâ occasione fuerunt diluta. Unicum hoc tantum notetur: Communem fere esse Jctorum sententiam, ut sentit *Grotius l. 3. de jure Belli & Pa-*



## DE AUTORIBUS PACIS.

*cis c. 14. n. 6.* Regem ex Pactis cum Subditis initis obligari naturaliter, sed non civiliter: Quam quidem opinionem Juris Pontificii Interpretibus tribuit & refellit *Bodinus l. 1. de Rep. c. 8.* Cum autem hi actus sint Regis qua Rex est, certè ex legibus civilibus judicandi non sunt, sed æquitate naturali, quæ jus dat Subditis ex contractu inito quæsitum. Cavendum enim, ne sub autoritate Juris scientiæ perniciosè erretur, ut plerumq; fieri solet, ut ex Celso & Paulo docet *Mant. l. 5. tit. cit. n. 5.* Bono Pacis igitur Juris rigor in hac & aliis quæstionibus seq. relaxandus est. *Mant. ib.* & recedendum esse à Regulis Juris communis tam Civilis quam Canonici pro bono Pacis tradit *Tuscbus Conclus. 76. n. 17.* multaq; sunt permessa Principi pro bono Pacis subditorum *concl. citata n. 24.* Quod si autem semel jure se à pactis recedere posse autument, non deerunt cavilandi prætextus: *Ita non parvo stetit sua generosa credulitas* (verba sunt *Baudii*) *Philippo Hasso, qui ad infames insulas Enig & Evig naufragium fecit.* Accedit 4. hæc quorundam Regum opinio, quod Edictum de Pace cum Subditis facta ad Regni securitatem promulgasse sibi videantur, idq; tollere, interpretari, aut mutare possint. Exemplum in causa Reformatorum Galliæ Vid. ap. *P. Bernhardum* in explicatione *Edicti Nannetensis fol. 21. 22.* Verum cum Edicta talia non à Principis nudâ & absolutâ voluntate oriantur, communi etiam consensu, & ex contractu sancita sint, sequitur ea à solo Principe rescindi non oportere. Quemadmodum *Leges Fundamentales Regni*, in quas Regi nullum jus est, à Rege propterea rescindi nequeunt, quod per modum contractus fuerint latæ. 5. Tanta etiam est nonnunquam animorum & voluntatum dissensio in Principibus & Subditis, ut nulla fere fidei aut concordia spes appareat, ubi illi sine modo dominari, hi liberi esse volunt, facere illi  
inju-



DISSERTATIO I.

8  
 injurias, hi prohibere. *Salust. in Jugurt.* Quæ omnia vero eò  
 pertinent, non ut Pacis inter Superiores & Inferiores fan-  
 ciendæ spes tollatur omnis, sed ut inter tam dispares na-  
 turas nulla tutior cautio intelligatur, quàm ut omnia præ-  
 fidia comparentur, quibus efficiatur, *ut qui animo ac  
 voluntate ad nocendum propensus esse præsumitur, nocendi vi-  
 ribus destituatur.* Quo epiphonemate librum suum pri-  
 mum de *Induciis* claudit *Baudius*. At enim hoc etiam ex  
 argumento dissuadere nonnulli fatagunt, Pacem quæ in-  
 ter æquales fancienda est: Metuunt enim, ne occasione  
 Induciarum, aut tempore Pacis per ministros suos &  
 emissarios Principes semina discordiarum inter ipsos Sub-  
 ditos serant, quos tempore Belli timor externus & com-  
 munitatis ex hoste formido in officio & bonis moribus con-  
 tinuit. Atq; scrupulum hunc Ordinibus Belgij injectum  
 summo studio eximere conabatur *Janninus* apud *Baudium*  
*l. 3.* Attendendum enim esse aiebat, longe certius à cor-  
 ruptelis & clandestinis molitionibus discrimen immine-  
 re, si qua clades & calamitas bello accepta esset, ut sunt  
 alternæ Martis vicissitudines, quam si induciæ factæ es-  
 sent. Nam vel semel parùm prosperè commissam pu-  
 gnam plus uno momento adferre confusionis, tum in  
 publico statu, tum in voluntatibus omnium subditorum,  
 quam occulta multorum mensium & annorum tenta-  
 menta in sollicitandis animis singulorum. Plura vide ci-  
 tato loco. (f) Contra hæc igitur & aliorum nonnullo-  
 rum argumenta, quibus omnem Pacis reconciliandæ in-  
 ter inæquales spem removere conantur, in genere ob-  
 servetur, arma pro defensione suscepta non alium habe-  
 re finem, quam ut in otio vivatur, nisi gladiatorum aut  
 potiùs latronum more continenter decertare, & omne

ævum



DE AUTORIBUS PACIS.

ævum ferro terere velint. Et si Subditos spectemus, tanta plerumq; est Principum potentia, ut nullo tempore speranda sit plena, & omnibus modis absoluta victoria, quatenus humana mens augurari potest: Semper erunt, qui exemplum verituri res Principum afflictissimas erigere nitentur. Prudentes igitur illos & similes casus animo perspicere oportet, ut tempestitiva adhibeatur præparatio ad eos aver-  
tendos.

VII.

*Quandoque Subditi in eminenti gradu constituti cum rebellibus suis Subditis (vel aliis Civibus) paciscuntur, quorum Pacta à Superiore confirmari solent: (a) At cum externo contrahere non possunt nisi Majestatis nomine justa de causa. (b)*

(a) Exemplo Ducum Holsatiæ cum Ditmarsis, quæ pacta à Ferdinando Cæsare fuere confirmata. (b) Ut si Rex in minori sit ætate constitutus, aut rationis non compos, aut in vinculis hostium; Ex Majestatis item commissione, interdum etiam connivente Principe, ut Proceres Hungariæ cum Turca *Thuanus lib. 10.* Nonnunquam eorum consensus necessario accedere decet, ut si ob Pacem impetrandam Regni partem alienare velit Princeps, cum administrandi non alienandi potestas ipsi concessa sit, & commissa sit ipsius fidei tutela & moderatio Imperii ita, ne quid Respublica detrimenti capiat. Jus in partes ex primæva voluntate metiendum est, quæ minime credi debet talis fuisse, ut jus esset corpori partes & abscindere à se & alii in ditionem tradere, *Grot. J. Bell. II. VI. 4. Q. An Latrones aut Pirata Pace digni sint? Resp. A. Quia etsi personæ Jus deficiat, interest tamen humani generis, ut si aliter non possunt, impunitatis fiducia à maleficiis devocentur. Grot. J. B. III. XXI. V. n. 5. collat. cum III. XIII. XV. n. 2. et III. XIX. II. n. 2.* Sic Pompejus Belli Piratici magnam partem pactationibus confecit, vitam illis pollicitus & sedes, in quibus sine rapto viverent. *Grot. ib.*

B

IX.



*Optimè verò sibi prospiciunt, qui Pacem non tam cum Principe, quam toto Regno ineunt, eaq; pacta à Proceribus & futuro Regni vel Principatus successore majorenni confirmari curant.*

Rationes sunt 1. ut Pacta firmiter durent; Personæ Principum enim mortales sunt, Respublicæ æternæ. 2. Ut non soli Principi, sed Reipublicæ universæ consultum fuisse videatur, Cujus etiam rei argumenta in Pacificationibus nostrorum temporum passim occurrere, quanquam varietate nonnulla à se invicem divertentia. *In Pacifico Germano-Svedico Osnabrugensi Pax dicitur iniri cum S. Regia Majestate, Regnoq; Sveciæ, non tamen reciproce facta Imperii mentione, verum cum S. Cæs. Maj. Domo Austriacæ &c. At in Pacificatione Neomagensi id utrinq; observatum fuit, Pacem nempe fieri inter S. Cæs. Majestatem, Romanorumq; Imperium & S. Reg. Majestatem ac Regnum Sveciæ. In Pace Oliveni subditarum Provinciarum quoq; mentio facta: Pacem fore inter Regem Sveciæ &c. Regnumq; Sveciæ atq; subiectas illis intra vel extra Imperium Ditiones ac Provincias, & Regem Poloniæ &c. Regnumq; Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniam, atq; subiectas illis Ditiones. In Pace Dano-Svedica insuper Ministri ac Subditi adjecti: Inter utrumq; Regem & eorum Successores, Regna, Ditiones, Consiliarios, Ministros, Subditos & Incolas Sveciæ, Daniæ & Norvegiæ &c. Vid. Artic. I. Pac. Roschild. Similiter in Pace Pyrenæa: Inter Reges &c. eorum Regna, Status, Regiones atq; Subditos. Art. I. Pac. Pyr.*

Potest etiam Jus Principis impeditum esse, ut in casu quo transigere velit alienando v. g. partem Regni, vel aliud in externum transferendo, quod Lege Regni, voluntate populi delati non licet, tunc enim Populus ut causa efficiens principalis Pacis cum Principe concurrat, non quidem propter ipsius Contractus, sed rei seu materiæ naturam ac conditionem, de quâ in Capitulis Pacis agetur. Atq; hæc causa fuit, cur Carolus V. pacta cum Francisco I. Rege Galliæ in-ita à Delphino & proceribus Regni rata haberi voluerit: *Cum antiquis Gallie Legibus, ut nihil quod ad Regnum spectaret, absque Senatu & reliquorum, penes quos totius Regni Autoritas erat, qui in*  
*hujus-*



DE AUTORIBUS PACIS.

H

*hujusmodi rebus communem salutem propriis Regum commodis antefere-  
re confesserent, consensu alienare liceret, cautum esset. Gvicciard. Libro  
XVI. Et ante consensum hunc impetratum Rex libertati re-  
stitutus non fuisset, nisi metuisset Carolus, ne Rex morâ di-  
uturniore fractus in priorem ægritudinem recideret, & mor-  
te suâ victoriæ fructum irritum redderet. Gvicciard. ibidem.  
Hinc factum quoq; , ut cum Rex antequam Regni Proce-  
res solenniter pacta confirmarent, & rata haberent, libertati  
restitutus esset, ille dissensum Procerum causatus à pactis po-  
stea discesserit.*

IX.

*Fæderatorum fidei haud congruum est, (a) violato societatis  
jure, (b) temere, & invito Confæderato, Pacem inire cum hosti-  
bus: (c) Nonnunquam tamen id exceptionem habere certis in casti-  
bus pleriq; existimant, (d) ita tamen ut comprehendatur in pa-  
ctis Fæderatus (e)*

(a) *Arg. l. 1. in pr. ff. de pact.* Certum est, fide nihil majus  
aut sanctius veteribus Romanis fuisse, quam etiam hosti da-  
tam custodiendam esse existimarunt, quanto magis Socio &  
amico. Inprimis verò Principem decet fidei stabilitas, cujus  
promissa pro factis habenda. *Tiraquellus de Nobil. c. 20. n. 3. &  
sequ.* (b) Hujus ineundæ ratio cum mutuo consensu constet,  
conveniens est eam dissensu mutuo dissolvi. *Arg. l. nihil tam  
naturale ff. de R. J.* Intempestive autem si illi renunciatur,  
veluti implicatis involutisq; Societatis rebus, aut lucro, quod  
solus Socius sciat, & captet, oblato, nec tamen in commune  
redacto, Socio non proderit renunciatio §. *manet autem socie-  
tas. Institut. de Societat.* (c) Ideoq; Edvardo Regi Angliæ Ca-  
rolus Burgundicus vehementer indignatus est, quod Pacem  
cum Ludovico Galliæ Rege se inscio inisset, abjectam eam,  
virtuteq; Anglicâ indignam appellans. *Comin. l. 6.* Et Sereniss.  
Elector Brandenburgicus Literis ad Ordines Belgii d. XV. Aug. A. LXXIIX.



datis de Pace Neomagensi leorsim inter Regem Galliae et ipsos conclusa  
 Sey ein Friede/ welcher so wohl in seinen Articeln und Conditionen,  
 als auch in der Art und Zeit/ da er getroffen/ und unterschrieben worden/  
 so lang die Welt gestanden/ kein Exempel hat und verhoffentlich zu e-  
 wigen Zeiten keines mehr haben wird: Dann wer hätte wohl glauben  
 sollen/ daß eine Republicque/ welche aus Liebe zur Freyheit entsprossen/  
 und durch Beständigkeit/ Treu und Glauben/ als ihr einziges und be-  
 stes Fundament bißhero erhalten worden/ ihre getreue Allirten/ wel-  
 che einzig und allein ihrenthalben die Waffen ergriffen/ und sie von ih-  
 ren gänzlichen Untergange errettet haben/ wieder den klaren Inhalt  
 der Alliance/ wieder so theur gethanes Versprechen/ wieder die natürli-  
 che Obligation/ die Danckbarkeit und Gegen-Vergeltung/ verlassen/ und  
 nicht allein ohne und wieder dieselbe einen Particular-Frieden schliessen/  
 sondern sich darinnen verbinden wollen/ denen keine Hülffe oder assi-  
 stance, welche sie ihnen doch ex foederibus schuldig seyn/ zu leisten; Ja  
 andere Potentaten/ daß sie dergleichen auch nicht thun sollen/ anzuhalten/  
 daß man hergegen dem Gegentheil freye Macht gelassen/ seinen Allirten nach  
 eigenem Belieben Assistentz zu leisten. Idem Cominaeus Foederatis  
 insignem cladem praedicat, si se disjungi & dissipari patientur  
*d. 1.* Inesse namq; videtur Foederi haec conditio, ut neutri liceat  
 a foedere temere recedere, quamvis expresse in foederibus  
 haec conditio apponi soleat, cujus rei exempla sunt ubivis  
 obvia; quam tamen evuluisse, & propemodum extabuisse,  
 queritur *Bodin. d. 1. 5. de Rep. c. 6.* Unde Lanovius apud *Thuan. l.*  
*60.* Rupellanos monebat, ne causam suam ab aliorum rebus  
 separarent, & nimio Pacis studio in inextricabilis belli ne-  
 cessitatem imprudenter se induerent; saepe enim contingere,  
 ut quibus unitis spes certa de Pace aequis conditionibus  
 impetranda affulgebat, iis separatis necessitas alterutri parti,  
 non jam externi Principis opem implorandi, sed dominatione  
 accipiendi, imponatur. *Thuan. l. 71.* Et iterum Serenissimus Elector  
 Brandenburgicus Literis ante dictis: Wir müssen bekennen/ daß/ ob wir wol  
 höchst befugte Ursach haben/ uns über diese E. S. M. procedur zu beschwe-  
 ren/ dennoch die Affection, so wir von Jugend auf zu dem Staate getragen/  
 und



DE AUTORIBUS PACIS.

13

und das gemeine Interesse, so wir wegen der Religions. Sicherheit und Nachbarschaft haben / so starck bey uns seyn / daß wir E. H. M. von Herzen beklagen / und über das Unheil / so dem Staate auß einem solchen Frieden un-  
ausbleiblich zu wachsen wird / ein aufrichtiges Mitleiden haben. E. H. M. ist bekant / aus was Ursachen sich dieser Krieg wider Sie angesponen / und wie man so gar den totalen Untergang des Staats projectiret hatte. Nun ist zwar durch des Höchsten Gottes Beystand und ihrer Allirten getreuen operation der Staat restituiert und aus dem äussersten Ruin errettet worden: Aber die Zeiten können wieder kommen: Die Maximen, so man bey Anhebung dieses Kriegs geführet / wahren noch / und E. H. M. igtige conduite wird dieselbe am ersten wiederumb auff die Bahne bringen; wann nun solches geschehen / und der Staat wieder in Noth gerathen solte / welcher Mensch / wo noch einiges Nachsinnen übrig ist / wird sich alsdann für dem Staat wiederumb conjungiren? Wer wird nicht an dem Jentigen / was ikund geschehen / ein Abscheu und Beyspiel tragen? Was für Grund wird man wohl auff E. H. M. Alliancen und Versprechen bauen können? Zwar möchte man gedencen / daß aller Potentaten interesse, Sie zu Rettung E. H. M. obligiren wird. Aber die Cron Spanien und unser Exempel werden hinwiederumb alle Welt davon abhalten: Daß besagte Cron so viel schöne Provinzen und Städte verlieret / daß die Cron Francfr. eine so grosse animosität gegen uns bezeuget / hat es wohl eine andere Ursache / als weil wir bey E. Hochmögheiten in dero Nöthen umgetreten und derselben daraus geholffe haben? (d) Ut si unus ex Sociis perpetuis & capitalibus odiis cum hoste decertare, Sociis differentibus, velit, omnesq; conditiones respuat, finemq; Belli obtinuerint Foederati, ab humanitate alienum videtur (verba sunt Bodini l. 5. c. 6.) cæteros etiam implacabili Bello implicari: quemadmodum in Jure Civili renunciatio Societatis potest rationem habere l. convenerit 14. ff. pro socio. Pax enim usq; adeo est favorabilis, ut, si quis promiserit, se Pacem, cum alio non esse facturum, tale pactum non valeat. Card. Mant. l. cit. n. 8. Et videtur etiam conditionis ipsius superius positæ hic esse sensus, scilicet si justas causas foederatus allegare possit dissensus sui. Interpretatio enim in pactis ea apprehen-

B 3

prehen-



prehendenda est, quæ ad Pacem facit propter ipsius favorem. Deinde si ad Pacem feriendam nos cogat necessitas. Quemadmodum enim necessitas non habet Legem, ita nec Contractum sustinet, si Fœderatus gravissimo casu pressus nequeat satis conventis facere. *Alber. Gentil. 7. B. L. III. c. XXIV.* Tertio, si ipse etiam Fœderatus injuriosus sit & damnosus, &c. *Arg. d. l. si convenerit.* *Neumeyer de Pacific. c. 5. n. 50.* ad hunc etiam casum extendit exceptionem istam, si quis metuat, ne à Fœderato deseratur; melius enim præveniri esse, quam prævenire, quo refert exemplum Pacis Cameracensis. Sed commodius referetur huc exemplum Elifabethæ, quæ, cum Mariæ, Hispanorum Fœderatæ, successisset, verita, si Hispanorum potentiâ niteretur, ne se desererent Hispani, separatim cum Rege Galliæ agendum sibi existimavit, *Thuan. l. 22.* Singulare autem fuit, quod Henricus, Navarræ Rex, Delphinatibus, fide Procerum perspectâ, permisit, ut de conditionibus Pacis cum Regina Galliæ seorsim agerent: Sic enim Reginam, ut causam Delphinatum à Navarro separaret, benignius ad postulata eorum responsuram, & eo veluti præjudicio cæteras Provincias subnixas idem à Reginâ petituras; Quod si minus benignè ad postulata responderetur, res integras mansuras judicabat, nec conjecturæ eventus defuit. *Thuan. l. 66.* (e) Fœderatos Pace comprehendendos esse agetur suo loco: Hoc v. hic observandum, Fœderatis damnosiores plerumque esse Pacis actiones, quam Principibus, qui suis tantum auspiciis bellum gerunt. Ideò Navarrus apud *Thuan. l. 86.* veritus, ne Colloquii fama Fœderati in Regno propterea in communi causâ remisius agerent, extrâ Regnum verò Germani tardiores in expediendis auxiliis essent, denuo Fœderatis promisit, nihil se illis inconsultis facturum, nec de conditionibus Pacis acturum, nisi omnibus Provinciis in Pace comprehensis.

X.

Cum



*Cum Hoste jure Belli capto & detentore recte Pax initur (a) tene-  
turq; is liberationis suæ conditiones, dum honestæ sint, & possibiles ad-  
implere, (b) nec eiusdem prætextu metus (c) aut obsidibus (d) datis li-  
beratur.*

(a) Si Regnum sit in proprietate & patrimonio, alio-  
quin ipse solus nequit Pacem inire. Ratio diversitatis hæc est,  
quod Proprietarius Regni ejus proprietatem captivitate non  
amittat; Sed aut in Principe capto manet, aut ad victorem, nullatenus  
vero ad populum transit. Qui autem à populo delatum imperium  
habet, ut populi commodum procuret, non videtur ea le-  
ge accepisse, ut etiam liberam potestatem exercere possit.  
*Grot. l. 3. de Jure Bell & Pac. cap. 20. num. 3.* qui ad eum casum  
etiam id extendit, si extra Regnum vivat Rex, ut exul &  
obnoxius, cum parùm à captivo distet; Ab utroq; autem  
excipit eum casum, si transigat de iis, quæ privatim sua  
sunt. (b) Duarenus *in l. conventionum ff. de pact.* Sic Fran-  
ciscus I. Ministris Cæsareis Burgundiam aliave poscentibus respondit, se  
potius captivum mori &c. statuisse; *Quod, etsi secus decrevisset, id exe-  
qui tamen in sua potestate non esse: Peterent igitur ea, quæ fieri possent;  
Quod si facerent, nec ad Fœdus cum Cæsare ineundum, nec ad ejus po-  
tentiam promovendam majorem alacritatem desideraturos.* Guicciard. L.  
XVI. Ipseq; Mercurinus Cancellarius Cæsareus Carolo tunc svasit, ut misis du-  
rioribus conditionibus, cum Francisco concordiam iniret, ea moderatione  
ac lenitate, quoad ejus res pertinet, ut eam servandi causam habere vi-  
deatur. Gravioribus Legibus ipsi positis futurum, ut si minus sponte, sal-  
tîm coactus magis inimicus, quam prius sit futurus: Se pari cum reliquis  
ardore cupere eodem tempore & Burgundiam recuperari & Italiæ sub gen-  
dæ fundamenta firmari, sed qui tot res tam cito amplecti conetur, nihil  
ut retineat, & Rex Galliæ liberatus ut nulla ratione tot tamque magna  
promissa servet, se vehementer pertimescere. Vid. egregiam Orationem  
ejus apud *Guicciardinum l.c.* Potestq; huc etiam aliquâ ex par-  
te accommodari Marci Atilii Reguli facinus, qui primo  
Bello Punico captus à Pœnis, cum de Captivis commutan-  
dis



dis Romam missus esset, jurassetq; se rediturum, primum ut venit, Captivos reddendos in Senatu non censuit, deinde cum retineretur à propinquis & amicis ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere *Cic. l. 3. offic. (c)* Data enim iustitia belli, & hoste in captivitatem deducto, in quâ etiam detinere poterat diutiùs, non potest ex tali metu licito justus metus resultare. *Arg. l. si mulier in princ. ff. de eo quod metus causa*, ut suo loco uberius declarabitur. (d) Obsides enim non minùs ac pignora & fidejussores principali obligationi accedunt, quibus ea non tollitur, sed augetur, & firmatur magis: Qua ratione *Bodinus* non rectè statuit, Regem suum religione fœderis Madritiani filiis obsidibus datis solutum fuisse.

## XI.

*Cum minorenni etiam Rege (a) autoritate tamen accedente Tutorum, rectè Pax initur. (b)*

(a) Nam in privatis etiam causis adeò favorabilis est causa Pacis, ut minor, doli capax, non tantùm Pacem inire possit accedente Tutoris juramento, *Card. Tusch. conclus. 175.* sed etiam ex quorundam JureConsultorum sententiâ læsus dici nequeat, & ideò in integrum non debeat restitui. *Mantica de tac. & ambig. convent. l. 27. tit. 3. n. 9.* (b) Ideò enim Regni Lege, vel Testamento, vel Populi scito, Principibus adjunguntur Tutores, ut hi Reip. administrationem suscipiant nomine Principis, & si in privatis id necessarium, multò magis in publicis. Neq; opus hoc loco est restitutione in integrum, cum ipsa Pacta sine voluntate Tutorum, aut eorum, qui Tutores repræsentant, inita sint nulla. Ita Autor *Apologiæ Francisci I. refutatæ apud Goldastum in Imperialib. Politic. part. 22. p. 871.* excusat Carolum V. Imperatorem, quod Noviodunense Fœdus minorennis, qui nondum in Hispaniam venerat, nec ab Hispanis ad Regnorum gubernacula receptus



ceptus erat, minimèq; de eorum juribus instructus, nullosque penes se habens Confiliarios eorum Jurium conscios, Consultorum quorundam præpostero metu iniecit, &c. Optimum itaque est, quoties de Pace agitur, cum Pupillo, ut Procerum omnium consensus accedat. Sicq; *Pacis Olivensis Art. XXXIV.* ratione Sereniss. Regis Svedia tunc minoris cautum: *Ut Serenissimus Rex Svedia Solenni Instrumento hac Pacta nomine suo & Regni Svedia per Subscriptionem Serenissimæ Reginae Matris suæ & Dominorum Regni Svedia Administratorum in Forma conventa ratæ habeat.*

## XII.

*Tutum vero non est, Principes ipsos de Pace acturos convenire, insidiisq; hostilibus & periculis se suorumq; salutem exponere: (a) Legati igitur ad hostem ablegandi, eorumq; fidei & curæ committendum Pacis tractanda negotium. (b)*

(a) Sic Ferrariensis Dux Alphonsus, cum de Ferrariæ Ducatu cum Pontifice debitâ submissione & precibus ageret, timuit, ne ejus invadendi causâ artificiosè Romæ detineretur. *Guicciard. l. II. Hist.* Nec consultum censebant Caroli V. Consiliarii, ut Cæsar ipse cum captivo tum Rege Franciæ colloqueretur, quod non conveniret Cæsareæ Majestati Regem captivum videre, nî illum statim libertate donaret, & magnorum Regum aut Principum conventiones rarò essent fructuosæ, cum inde majora odia soleant concitari. *Goldast. de Act. Imperial. cum Rege Francia in Refutatione Apologia.* Et *Cominaus Hist. L. III. Imprudenter faciunt Principes equali potentia præditi, quod in colloquutionem ipsi descendant. Præterquam enim quod Majestati major ex longinquo reverentia, mutuus aspectus occulta odia detegit, sinistras opiniones generat, & lites, si nulla sint, parturit.* Cui mox aliquot congressus Principum subjicit, ut Ludovici XI. Regis Galliæ & Henrici Regis Castiliæ Reginaq; Aragoniæ, Friderici III. Cæsaris & Caroli IX. R. Galliæ, Edvardi Angliæ Regis & Caroli Sororii ejusdem, Caroli Burgundi & Comitis Palatini ad Rhenum, Sigismundi Austriaci & Caroli



roli Burgundi: Quorum omnium congressus infelicem exitum sortitos fuisse monet. Notandum hic, non agi h. l. ex professo de Legatis, sed quatenus ob Pacem procurandam mittuntur. Legati autem feciales dicuntur, quorum jus & autoritas olim à Populi Romani jussu dependebant, certis solemnitatibus adhibitis; de quibus vide *Livium libro 30. Valtrinum de re militari l. 6. c. 10. Arnif. de Jure Majestatis c. 5.* Quamvis interdum fatius fit alio prætextu mittere Legatos, sicuti Normanniæ Quæstorem ad Pacis negotium cum Anglo tractandum, de Rotellini Marchionis liberatione agendi prætextu ab Galliæ Rege missum ait *Guicciard. d. l. 12. Hist.*

## XIV.

*Legati sint viri, prudentia (a) & gravitate conspicui, (b) in dicendo blandi (c) eiq; accepti, ad quem mittuntur. (d)*

(a) Multo majorem requiri prudentiam in Pace faciendâ, quam in bello gerendo, ex Piccarto tradit *Newmeyer von Friedenshandlungen c. 5.* quod certo respectu concedendum. (b) In omni negotio magni refert, quales sint, quibus gerendæ rei creditur autoritas; & mores dicentis persuadent, non oratio. *Plutarchus de gerendâ Rep.* Sic Carthaginenses Pacem cum Romanis tractaturi triginta viros, ut ætate, ita & Prudentiâ cæteris omnibus majores, Romam miserunt. *Livius l. 30.* (d) magna siquidem vis dicendi est ad homines incitandos, vel ad iram, vel ad odium, vel ad dolorem, vel ad lenitatem, vel ad misericordiam. *Cic. l. 1. de Orat* (d) Nam Benevolentia vis est maxima, quod exemplo contrario probat *Franciscus Piccolomineus, Alexandri VI. Pontif. ad Carolum Reg. Galliæ in Hetruriam Legatus:* Qui cum Regi ejusque Principibus propter avunculum, Papam Pium invisus esset, de Pace acturus, nec audiebatur, nec in castra quidem admittebatur. *Jov. l. 2. Histor.* Et ejus, ad quem mittuntur, etiam interest, sæpe quales ab hoste Legati mittantur: Inde Ordinibus Belgii injecit scrupulum, quod duo extranei de Pace acturi missi essent.



DE AUTORIBUS PACIS.

essent, contra quam polliciti erant Archiduces, qui se nullius operâ usuros scripserant, nisi qui essent Belgicæ Gentis & originis. Periculosum etiam videbatur supremum militiæ Ducem admittere; licet id multi deinde in argumentum Batavicæ magnitudinis traherent; quod ex Imperatore factus esset Orator, & Pacem petere non dedignaretur. *Baud. l. 2. de Induc.* In his interim & aliis rebus perplexari nimis & tricari non videtur esse conveniens, ne in limine statim spes Pacis omnis abrumpatur.

XV.

*Merito autem non admittendi Legati fallaces (a) nec à rebellibus aut latronibus, vel qui Reip. formam nullam habent, Legati mittuntur: (b) licet premissa protestatione audiendi videantur. (c)*

(a) Fallaces Legati Pacis causâ missi, qui alia quædam mandata Bellum potius respicientia in mandatis habent. Ita Illyrii apud *Livium l. 23.* suspecti facti, quod specie Legatorum speculatores essent. Agendum tamen cum iis, tanquam Legatis, quando vanum Legati nomen non potest probari. Probari autem non posse, nisi mittentis aut Legati confessione, putat *Alberic. Gentil. de Legatis l. 2. c. 4.* alioquin improbis lata aperiretur porta de sæviendi in Legatos. Quod si autem Legatus moretur, & frustretur eum, ad quem missus est, & jam speculatus sit, is mox non dimitti, sed aliquamdiu detineri debet, si vero initio statim fraudulenter versetur, statim repellere non æquum saltem, sed & utile erit. *Idem ibidem.* Quin imo Legatis etiam, qui nondum in loco sunt, interdici potest, ne accedant, si fraudis meritò suspecti sint, aut sæpius specie Pacis nos fefellerint, aut alioquin justa ratio subsit. *Gentilis ibidem c. 5.*

(b) Legatus enim non publici solum, sed etiam publico nomine & publicâ indutus persona missus est, ideoq; cum rebelles, latrones, & factiosi sibi Reip. nomen tribuere non possint, ii proprie loquendo Legatorum mittendorum jus non habent. *Alber. Gentil. cit. l. c. 7. 8. & 9.* Hinc Tiberius indoluit & excanduit, cum Tacfarinas ad se Legatos misisset, *Tacit. l. 3. Annal.* (c) Omnem enim Pacem cum civibus quovis bello potiore judicamus. Ne igitur in limine statim Subditi rejectis Legatis suis ad desperata redigantur consilia, Principi maximè metuendum. Quid Philippus II. lucratus fuerit inmanitate suâ in Legatos Belgarum, Marchionem Bergensem & Montinium exercitâ, notum est, quorum ille in carcere ex mœrore animi, aut veneno decessit; hic cum albis securi percussus est, bonis utriusque fisco applicatis. *Thib. an. l. 41.*

XVI.

*Sunt autem non unius generis: Quidam habent tantum potestatem offerendâ*



ferendi conditiones, non de iis disceptandi, quorum tantum est referre, non tractare; Alii habent mandatum tractandi negotium Pacis, sed non plenissimum; (a) Alij plenissimâ præditi sunt potestate: Aliorum mandata non sunt directa ad eos omnes, qui nobiscum gerunt Bellum (b) & sic porro.

(a) Hi interdum non audiuntur; *Newmeyer von Friedenshandlungen c. 5. n. 41.* (b) qui propterea interdum rejecti, ut Legati Florentinorum, cum ad Cæsarem Pacis tractandæ ergò missi essent, responsum hoc acceperunt, ut sibi etiam cum Pontifice componendi potestatem mitti curarent, quo de controversiis inter ipsos & Pontificem agi possit: Cæsarem enim de propriis rebus, nisi illis prius compositis, cum ipsis agere nolle. *Guiciard, l. 19.*

## XVI.

Officium eorum est, Mandatorum fines non excedere (a) & etiam si plenissima sint mandata, non tamen quicquam sine novo Principis mandato decernere. (b)

(a) Ideoq; Legati Romanorum ad Gallos missi petitum, ne socios offenderent, cum post obitam legationem, arreptis armis, contra Jus gentium cum Clusinis in acie versati fuissent, Galli missis Romam Legatis suis, de injuria questi sunt, postularuntq; ut pro Jure Gentium violato Fabij dederentur: Quod cum non impetrâssent, imo de quorum poenâ agebatur, Tribunos militum in sequentem annum creatos audivissent, flagrantes irâ, ob honorem ultrò habitum violatoribus Juris humani, elusamq; legationem, omissis Clusinis, Romam rectâ perrexerunt, & Romanis acie ad Aliam fufis urbem ceperunt & devastarunt. *Liv. l. 5.* (b) Quamvis enim mandatum ad aliquid causa Pacis latam interpretationem admittere, dicat *Tuschus Conclus. 173. n. 29.* Obtinuit tamen hæctenus, ut Legati habentes liberam potestatem Pacem ineundi, antequam Pacta rata habeantur, & subscriptione firmentur, Principales suos de omnibus certiores reddant, quò Legatis omnis prævaricandi occasio adimatur; Reliqua quæ ad Officium Legatorum spectant, in negotiatione Pacis suo loco excutientur.





## ANNEXA.

### I.

**P**rimum Principium omnium Actionum Moralium, ex quo demonstrantur  
& in quod resolvuntur, est Dictamen Rectæ Rationis: Quod respectu  
vitæ communis hominum recepto inter Doctos Termino Jus Naturæ dicitur.

II. Ejus Mater est Natura Rationalis, seu quod perinde est, Natura Intellectualis, adeoque in Homine ipsa Natura Humana, Grot. Proleg. n. 16.

III. Ratio, Intellectus est Facultas cognoscendi Rem in natura sua: Intel-  
ligere Rem in natura sua cognoscere; Adeoque Natura Rationalis, quæ rem  
in natura sua cognoscere apta est.

IV. Dictamen Rectæ Rationis igitur erit Judicium de Actibus quibusli-  
bet secundum naturam ipsorum. Rectæ Rationis vero dicitur non distin-  
guendi, sed illustrandi causa; Ratio enim quæ Recta non est, ne Ratio quidem est.

V. Indicatque proinde ex convenientia aut inconvenientia cum Natura Ra-  
tionali actui alicui inesse Moralem necessitatem aut Moralem turpitudinem.  
Grot. J. B. I. X. n. 1. h. judicat actum talem vel congruere naturæ rerum,  
vel eidem repugnare ipsamque evertere, indeque vel necessario faciendum vel  
eo abstinendum esse.

VI. Et Actus hujusmodi à Deo necessario præcepti aut vetiti fuerunt, Grot.  
c. 1. n. 2. Deus enim summe Intellectualis est, unde veluti omnia intime co-  
gnoscit, ita nihil jubere potest, quin naturæ rerum congruat, nihil veta-  
re, quin ab eadem discrepet.

VII. Nusquam vero clarius, quam in Religione Christiana elucet. Hæc e-  
nim nihil nisi summe Intellectualia continet, h. talia quæ necessariam cum  
Naturæ Divinae Humanæque connexionem, quorumve contraria manifestam  
ab eadem Discrepantiam habent.

VIII. Sola quoque Christiana Religio Virtutem docere apta est, quia sola per-  
fectissimam recte vivendi rationem docet.

IX. Hinc etiam Virtutes Gentilium non possumus pro veris virtutibus  
habere, quia perfecta non sunt.

X. Nec refert Atilium quendam Regulum & Catilinam uno eodemve in  
in loco haberi; Ea enim est Hominum Irregeneratorum existitio conditio, ut  
seu agant, seu cessent, semper peccent.

XI. Tanto minus autem Brutis Jus Naturæ, Virtutem, Rationem attri-  
bui fas est, nisi quatenus objecta horum talium sunt, quia nullius rei na-  
turam, sed unice quod in privatum Bonum suum ex una, alterave cedit,  
cognoscunt.

XII.



XII. Et recte sensere, qui Umbra[m] Rationis illa gerere scripserunt; Umbra enim nunquam corpus est, sed externa tantum & rudis corporis imago.

XIII. Interim nec Irrationalia dici opus est, sed satis habent Animalia vocari, b. corpora viva sentientia; Irrationalitas naturam Bruti quidem sequitur, sed ab alia conspecie non distinguit.

XIV. Tanta insuper Dictaminis Rectæ Rationis amplitudo est, ut nullum vitæ genus sit, quin ab abeo dirigi oporteat: Quia nullum vitæ genus est, quin veluti hominem, ita Naturam Rationalem præsupponat.

XV. Unde periculosa assertio est Politicorum, qua Civem Bonum esse posse autumant, licet non sit Vir Bonus; Civis Bonus enim Vir Bonus esse præsupponitur, & si Vir Bonus non est, nec Civis Bonus fieri potest.

XVI. Qv. Quid de Lucretiæ Autochiria sentiendum? Resp. Laudari non posse Castitatem ejus, nisi damnetur homicidium: Nam si Adultera fuit, cur laudatur? Si casta, cur se occidit?

**S** In langen Jahren her kennt dieses Marck = Athen  
Der Putlizer Geschlecht' und Hochgeschätzten Namens;  
Der Sonnen-helle Glanz wird nimmer untergehn /  
Den Ihre Ahnen hier vorzeiten überkamen;  
Vier Helden dieses Stamms gab unser Helicon  
Den Scepter in die Hand die Musen zu regieren:  
Eh ein erleuchtetes Haupt noch kam auff diesen Thron /  
Da must ein Putliz schon die Rector = Würde führen.  
Wohlan! Hochwehrter Freund / Er suchet auch ikund  
Dem Beyspiel nachzugehn Der Hochberühmten Seinen  
Wenn Er der Zeit nimt wahr / und sein beredter Mund  
Auff der Catheder wil mit Wiz und Kunst erscheinen.  
Wir werffen Ihm viel Glück' und tau'end Segen bey  
Zu diesem Seinen Thun und tapffern Unterwinden;  
Und daß Sein muntreer Fleiß nicht ohn Belohnung sey /  
So müsse dieses Werck viel hohe Gönner finden.

Dieses wünschete mit Glückwünschender Feder dem Hn. Baron als  
ihrem Hochwerthesten Herren Tischgenossen Dessn  
Sämptl. Tisch-Compagnie.



WMA

ULB Halle 3  
002 628 52X




sb.











1681, 3

3/

MANNI JCTI  
 TIONUM  
 LITICARUM,  
 MA  
 RIBUS  
 CIS,  
 IDE  
 H. BECMANO,  
 PROF. ORDIN.  
 epetita  
 DERICO GANS  
 e PUTLITZ,  
*Collegii Philosophici*  
 MDCLXXXI.  
 d Viadrum,  
 ORI ZEITLERI.

